

Viros quidem oppidò eruditos, haut ita pridem acriter disputatum fuit, num sublimitas Unionis Personalis, humanam naturam ab obedientiâ Legi divinæ alioquin debitâ exemerit? Inter Doctores nostræ partis, sanè præclaros [a4 v] & egregiis meritis insignes, magnâ animorum contentione, nec sine verborum acerbitate disceptatum est, num πανταχουσία Humanitati Servatoris tributa, Unioni Personali, an verò Exaltationi & Sessioni ad dextram Patris acceptò ferenda. Sed facessat contentionum amara memoria, & in earum locum subeat animorum & studiorum consensus. Quanto enim rectius & fructuosius, Sacræ Scripturæ ejusquè [sic] à Spiritu Sancto profectis verbis meditandis & expendendis adhærescere, & propter ea, ad quæ nobis illa liquidò non præeunt, nec animi angi, nec serram contentionis reciprocare? Consideremus potiùs, quando in sacras hasce Meditationes incumbimus, quanta in nos fuerit Dei caritas, qui proprio suo Filio non pepercerit, sed prò nobis omnibus eum tradiderit: quantum amor Filii, qui pro impiis & quum adhuc inimici essemus, animam suam posuerit: [a5 r] quàm tetrum Peccatum, propter quod expiandum & abolendum, Dei Filium mori oportuerit. Christo itaque pro nobis in Carne Passo, nos quoque eadē cogitatione armemur, & carnem nostram ejusque cupiditates crucifigamus, hoc est, domemus, ne peccatum in nostro corpore regnet. Is sit affectus in nobis, qui & in Christo Jesu fuit, nempe, ut non queramus nostra commoda & compendia, sed alii aliorum onera portemus, & ita impleamus Legem Christi. Nam qui diligit alterum, Legem implevit: & si habeam Prophetiam, & noverim omnia Mystera, & abstrusas omnes Quæstiones subtiliter ac feliciter expedire valeam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Ita roborabitur fiducia in Deum; & liberi à peccato, servi autem facti Deo, habebimus fructum nostrum in sanctimoniam, finem autem vitam æternam.

Quum hæc omnia probè cognita [a5 v] habeat Serenissimus è Domo Guelphicâ idemque literatissimus Princeps, quem sua pietas & virtus eximia, & rari in istâ nascendi sorte exempli eruditio, ignorari non patiuntur, non ipse modò in Scripturâ & optimis ejus Interpretibus lectitandis, lectisque; meditandis est assiduus, sed Illustrissimos etiam Liberos suos idem stadium decurrere, idem studium tractare, atque adeo à teneris è puro limpidoque fonte sinceris pietatis latices haurire exoptat. Sed & inter sacras Historias, Historiæ Passionis Mortisque Domini potissimam rationem habere discipit. Quæ quamvis diversis plurium conatibus, è quatuor Evangelicis Scriptis in Unam seriem sit compacta, non tamen sibi suovè Zelo satisfactum putavit, nisi post omnes alios manum ipse admoveret, ratus Generosissimis Liberis acceptius fore, quod à Paternâ industriâ profectum esset, quàm quod ab alienâ. [(a6) r] Etiam si enim magnâ ex parte nova quoque; sit Versio, veterem tamen B. Lutheri neque; reprehendit, neque; rejicit, neque; manibus hominum excuti cupit: existimavit autem sibi licere, ut suo, quo in divinissimam Scripturam fertur, amori & studio aliquid indulgeret, & ipse, quàm propè ad Evangelistarum idioma vernaculo accedere posset, experiretur, eademque operâ suorum animos ad pietatis & sanctissimæ lectionis studium inflammaret. Quod nemo candidus ægrè feret, aut sinistrè interpretabitur, quum aliud spectaverit nihil, quàm ut suo textum θεόπνευστον prorsus imbibendi, menti que; penitus imprimendi desiderio satisfaceret, &, quemadmodum dictum fuit, Sobolis suæ sibi meritò carissimæ pietatem & diligentiam suo ipsius, utpote Parentis, labore, tamquam stimulo ma-